



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Dubium I. Quid secundum Aristotelem natura & ars, & in quo inter se differant & convenient.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

fiat Resolutio usque ad materiam primam.

CLXXIX. Confirmatur tamen hæc Resolutio, quia talia accidentia sunt prævia ad formam dispositiones; ergo in forma non recipiuntur, sed in materia, &c.

CLXX. Dices, accidentia communia, siue non propria non disponunt potentiam materiæ receptivam; sed materiam ad recipiendam formam substantialem; atqui dispositiones immediate reci-

piuntur in eo, quod disponunt, ergo, &c.

CLXXI. Respondeo negando maiorem ob dicta supra Disputat. 2^a de materia prima Dubio 7^o, sic ut enim ignis mediante calore ut instrumento accidentia communia, & non propria producit, ita materia prima mediante potentia receptivâ ut instrumento, accidentia communia & non propria recipit.

TRACTATUS II.

In Librum Secundum

PHYSICORVM.

LIBER hic tres partes continet: 1^a nil momenti; 2^a de Natura & arte agit: 3^a de Causis.

DISPUTATIO PRIMA

De Natura & Arte.

DUBIUM I.

Quid secundum Aristotelem natura & ars, & in quo inter se differant & conveniant.



Suppono nomen naturæ variè accipi: 1^o, pro uniuscuiusque rei essentia, quomodo dicitur definitio explicare naturam rei: 2^o, pro essentia substantiali ut distincta à sua subsistentia, quomodo dicitur u-

na natura Divina, tres subsistentiæ. 3^o, pro Deo, qui dicitur natura naturans, quomodo mundus dicitur opus naturæ. 4^o, pro collectione omnium causarum creaturarum, quæ dicitur natura naturata, & illud miraculosum, siue supra vires naturæ, quod est supra illas. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

II. **D**ico 1^o, natura definitur ab Aristotele hic, Principium & causa motus & quietis ejus, in quo, primo & per se, & non per accidens inest.

III. Dicitur 1^o, Principium & causa, ubi ly Principium, utpote contentum in causa, superfluit, nisi, velis addi majoris explicationis gratia: per ly causa excludit unionem, quæ dumtaxat est causalitas; item privationem, quæ propriè non influit in esse, cum nihil sit: sed per causam ex mente Philosophi intellige Solam passivam, cum Scotistis communis, Fabro Theorem. 33. c. 1. Fuentes hic q. 2. Sghemma disgres. 8. Poncio hic Disput. 36. q. 2. ubi ait id tam clarè asseri à Scoto in 2. Dist. 2. q. 10. n. 9. ut mirum sit ab ullo Scotista, de ejus mente dubitari posse. quidquid dixerint Vasques & Valesius intelligi activam tantum; & Connimbricenses, Rubius Hurtadus, Averfa, Arriaga, Oviedus, Telles, Murcia, &c. utramque activam & passivam, quorum præcipua ratio est, quòd Aristoteles abstrahat à causa in particulari, in ratione causæ verò univocè convenient causa activa & passiva: verum supponunt falsum;

quia mens Aristotelis est assignare causam motus naturalis, prout opponitur violento, & non prout opponitur supernaturali, quæ cum esse non possit activa, quia agens naturale in agendo naturaliter non violentatur; (siquidem violentia est ab extrinseco; omnis autem actio agentis naturalis naturaliter agentis ab intrinseco & ex propensione naturæ; licet possit in non agendo violentari, ut, si positus omnibus ad agendum requisitis, Deus ipsius actionem impediatur, vel si per improductionem caloris impediatur aqua, quo minus frigus in se producat) solum passiva intelligi potest; quia oppositio fit per ordinem ad idem: plura videbis Resolut. 4^a.

IV. Dicitur 2^o, motus & quietis, id est, primæ productionis & conservationis; ejus in quo primo & per se, id est, essentialiter; & non per accidens, id est, & non accidentaliter; inest, ut excludas Principia, quorū motus non sunt in eo, quod principiant essentialiter.

RESOLUTIO II.

V. **D**ico 2^o, Ars rectè definitur ex Aristotele Ethicorum 6^o, certa ratio factibilium, id est, actus dictans aliquid opus faciendum, siue internum, siue externum; sed communius sumitur pro ipsa operatione externa relinquente opus externum post se, aut saltem pro habitu intellectuali dictante, quomodo talis operatio fieri debeat.

RESOLUTIO III.

VI. **D**ico 3^o, natura & ars in eo maximè differunt, quòd natura sit principium substantiale ejus, in quo est; ars verò, non nisi accidentale; ac proinde illa substantia est, hæc accidens: deinde etiam in eo, quòd motus non sit ab arte quoad substantiam, prout est à natura; sed quoad modum, videlicet directionem; unde ars non potest operari finè natura & ratione: bene autem natura, finè arte & ratione.

RESOLUTIO IV.

VII. **D**ico 4^o, natura & ars in eo maximè conveniunt, 1^o quòd sicut natura operatur ex præjacente materia prima, unde natura dicitur generare;

generare; ita ars operatur ex præjacente materia secunda, unde ars dicitur ornare: 2^o, sicut natura producit effectum secundum virtutem propriam; ita ars dirigit effectum secundum regulas proprias: 3^o, sicut natura ab imperfectioribus ad perfectiora sensum procedit; ita & ars. Ex his

VIII. Petes, quid motus naturalis prout opponitur violento, & e contra.

IX. Respondeo motum naturalem esse illum, qui est juxta inclinationem ipsius mobilis; violentum verò, qui fit resistente mobili, sive contra ejus inclinationem: unde dic, contra Patrem Ovidum hic, ad motum naturalem non requiri, ut proveniat activè & passivè à natura, id est, ab aliqua parte mobilis, nam motu naturali ignis sursum, & lapis deorsum projicitur; sed sufficere, quòd sit juxta inclinationem Principii passivi seu mobilis; sive ab eo, quod est essentialiter in mobili, activè proveniat, sive ab alio; imò sive mobile sit activum, sive non; altoqui nec aqua ad frigus ab aëre, nec ignis ad calorem à sole, moveretur motu naturali, quod haud sine absurdo negabitur. Hinc

X. Colliges frigefactionem ignis ab aqua circumstante, & calefactionem aquæ ab igne circumjacente esse quidem Principio activo & moventi naturalem, prout naturale opponitur super-naturali & libero, non tamen prout opponitur violento (de quo hic); quia sicut violentum sumitur per ordinem ad passum sive mobile (nam, ut dictum est Resolut. 1^a, agens naturale in agendo naturaliter non violentatur) ita & naturale prout opponitur violento, sumitur per ordinem ad passum sive mobile: unde Aristoteles hic dicit *moventia non mota non esse considerationis Physicæ*, sive Principia naturalia: quòd verò tunc aqua diceretur pati violentiam; si impediretur ejus frige factio, & ignis etiam, si ejus calefactio, intelligi debet de violentia latè sumpta, quæ est contra exigentiam naturalem; sicut enim non omne id, quod est secundum exigentiam naturalem moventis, sive Principii activi, est naturale, ut ly naturale opponitur violento, nam movere se sursum est secundum exigentiam hominis, violentum tamen; item movere lapidem sursum, est secundum exigentiam hominis, nec homini tamen, nec lapidi est naturale; non homini, quia motus non est in homine; non etiam lapidi, quia contra ejus inclinationem; igitur nec ulli violentus est, nec ulli naturalis ut opponitur violento, sed potius neuter: ita nec omne, quod est contra exigentiam naturalem Principii activi, est violentum strictè: sed illud solum est naturale, ut opponitur violento, quod est secundum exigentiam naturalem Principii passivi; & violentum strictè, quod est contra, &c. ut dictum est.

D V B I V M I I.

Quibus entibus conveniat definitio naturæ.

R E S O L U T I O I.

XI. **D**ico 1^o, materia, forma substantialis, & substantia, sunt natura, secundum quod natura supra describitur ab Aristotele.

XII. Probatur 1^a & 2^a Pars ex eodem libro 2^o, Physic. Textu 4^o: *Natura aut est subjectum, vel est in*

subjecto. & textu 10. *Natura sic dicitur primo, sicut ipsumque subjectum materies eorum, quæ motus in se, mutationisque Principium habent; alio modo modo ipse forma & species.* b1. unumquodque non est in eo

XIII. Probatur 2^o ratione, pro materia, forma & substantia (de hac enim nulla, quod sciamus auctoritas) materia forma & substantia sunt Principium passivum motus ejus, in quo sunt essentialiter, sive per se primò; sed natura est tale Principium, ergo, &c. Probatur major, quia materia & substantia sunt Principium quod & radicale passivum, & forma Principium quo passivum motus naturalis ejus, in quo sunt essentialiter; sed ly Principium in dicta definitione accipi debet de passivo, ut constat ex Resolutione 1^a Dubii primi; ergo, &c. major assumpti patet pro 1^a & 3^a parte, quia æque sunt subjectum denominationis motus naturalis (ut fatentur omnes) nec una magis quam alia: probatur pro 2^a parte, quia præterquam quòd forma etiam sit partiale subjectum denominationis, est ratio, propter quam motus dicitur esse secundum, vel contra, inclinationem compositi, sive mobilis; nam ipsa est, quæ exigit talem vel talem motum recipi, aut non recipi in composito sive mobili; unde meritò dicitur Principium passivum quo denominationis motus naturalis ejus, in quo est, ergo, &c. Hinc

XIV. Colliges, quòd quando diximus supra Dub. 10. Resolutione 1^a ly Principium & causa in definitione naturæ posita, intelligi de passivo, subaudiendum de passivo denominationis, & non receptionis; alioqui (præterquam quòd nihil sit naturale materiæ prout naturale opponitur violento, de quo hic; sicut ipsi nihil est violentum positivè) sola materia in sententia adstruente accidentia materialia & motus materiales (de quibus Aristoteles) recipi in materia, & solum compositum in sententia adstruente accidentia recipi in solo composito, esset natura, contra Aristotelem supra n. 12. unde licet excludamus Principium activum ut activum à ratione naturæ, non tamen illud excludimus ut passivum denominationis, quod non satis considerant varii Recentiores, ut PP. Arriaga, Ovidus, Telles, &c.

XV. Obicies: Aristoteles non numeravit substantiam inter naturas, ergo non est natura: probatur consequentia, quia si substantia esset natura partialis, jam non distingueretur realiter à natura completa, nihil esset illi realiter superadditum, &c. sed hoc est hæreticum, ergo, &c.

XVI. Respondeo concedendo antecedens: nec mirum quòd Aristoteles substantiam inter naturas non numeravit; quia, ex ignorantia fidei, eam non agnovit; ipsius tamen naturæ definitio illi convenit, ut vidimus, & maxime, quod dicit 5^o. Metaph. cap. 4^o. *Natura est, ex quo primo inexistente generatur, quod gignitur;* quid enim prius ipsa in genito existit si dicatur basis? deinde ly primo id est essentialiter, numquid essentialiter existit in persona, quæ gignitur? distinguo tamen consequens, ergo non est natura prout ab Aristotele, Ethnicis, & aliis post ipsos, ly natura accipitur pro materia vel forma, concedo consequentiam; prout à Christianis & Catholicis accipi debet pro omni, cui etiam per fidem dumtaxat à nobis cognito, convenit dicta definitio, nego consequentiam: Ad probationem consequentiæ, etiam distinguo, si substantia